

riorum manibus arma haec non solum eripiemus, sed contra illos vertemus. Utrumque autem efficere iam aggredimur.

Etenim ad primum quod attinet, nobis suppetunt locupletissimae protestationes ac declarationes eorundem imperatorum ac regum, qui eas leges condiderunt.

Sane Iustinianus, cui potissimum innituntur pseudopolitici, in Novella VI. aperit in prooemio mentem suam in sanciendo disciplinaribus legibus dicens: « Sancimus igitur *sacras per omnia sequentes regulas* (33), » quibus verbis se exhibet uti propugnatores vindicemque sacrarum legum seu canonum ecclesiasticorum. Et in Novella CXXXVII. « Si civiles leges, » inquit in praefatione, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus, quanto plus studii adhibere debemus *circa sacrarum canonum et divinarum legum custodiam*, quae super salute animarum nostrarum definitae sunt (34)? » Quibus patefacit sibi circa civiles leges tribuere potestatem, circa canones vero sacros et divinas leges *custodiam* unice adscribere. Deinde prosequitur idem imperator loquens in specie de sacris canonibus: « Qui enim sacros canones custodiunt, Domini Dei adiutorio digni sunt; qui autem eos transgrediuntur, ipsi semetipsos iudicio reddunt obnoxios. » Agnovit igitur hic legislator verum reatum in transgressione canonum, adeoque illos veram inducere ex sese obligationem; quod clarius adhuc patet ex insequentibus verbis: « Quod autem divini canones prohibent clericos esse, qui secundam uxorem duxerunt, et inter sacros Basilius docens sic ait: Bigamos canon ministerio excludit, » inquit, et ex iis progenitos (35). » Demum concludit cap. II. « His igitur, quae sacris canonibus *definita sunt*, insistentes,

(33) In *Iuris civilis corpore. Volumen legum parvum*. Lugduni 1612. Novella VI. cap. I. pag. 60.

(34) Ibid. pag. 608.

(35) Ibid. cap. I. pag. 609.

» praesentem sancimus legem (36) » nempe ad eos tutandos, ut executioni mandentur. Itaque constat ex Iustiniano, *non canones legibus, sed leges canonibus adiectas fuisse*, secus ac velint regalistae.

Id ipsum confirmat Leo VI. cognomento *Sapiens*, qui aliquot post secula Iustiniano successit, quique constit. II. « Quum sacrosancti, inquit, divinique canones, et quicumque alii de sacerdotio et episcoporum creatione statuere in optimum numerisque omnibus plenum editi sunt modum, (et quidem quomodo illi non exacte perfecteque editi sint, cum divina inspiratio in auctoribus efficaciter operata sit?), mirari subit, quomodo non veriti nonnulli sint sacras divinasque leges, tanquam illae absolutae non essent, promulgatis aliis legibus abrogare (37). » Adeo magni faciebat hic imperator canonum auctoritatem!

Nec minoris ponderis sunt, quae suppetunt ex regibus ac imperatoribus occidentalibus documenta, quod ipsi legibus suis canonum Ecclesiae custodes ac vindices se exhibuerint.

Etenim in capitularibus regum Francorum habentur constituta regis Chariberti data circa an. 554. in quibus sic rex mentem suam aperit. « Et quia necesse est, ut plebs, quae sacerdotis praeceptum non ita, ut oportet, custodit, nostro etiam corrigatur imperio (38). » En canonum custodem et vindicem.

S. Gregorius Turonensis refert obiurgationem a Chilperico rege factam Praetextato, Rhotomagensi episcopo, his verbis: « Quid tibi visum est, o episcope, ut inimicum meum Merovechum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, id est cum patris sui uxore, coniungeres? An ignarus eras, quae pro

(36) Ibid.

(37) *Imperat. Leonis Augusti constitutiones novellae*. Ed. Henric. Stephani 1560. pag. 17.

(38) In nova collect. *Baluziana Capitularium regum francor.* tom. 1. pag. 1.



» hac causa *canonum statuta sanxissent?* (39). » Non ad leges, sed ad canones provocavit.

Idem erga canones obsequium ostendit Chlotarius II. in conc. Parisiensi an. 615. dicens : « Ideoque definitionis nostrae est, » ut canonum statuta in omnibus conserventur (40). »

In lege Longobardica lib. II. c. 8. legitur : « Quia canones sic » habent de duabus sororibus, sicut de duobus fratribus (41). » Deinde lex subnectitur.

In concilio Liptiniensi an. 783. sub nomine Karolomanni principis capitulare II. c. 3. » haec habentur « Similiter praecipimus, ut iuxta decreta canonum adulteria et incesta matrimonia, quae non sunt legitima, prohibeantur et emendentur » *episcoporum iudicio* (42). » Ergo iuxta canones episcopi iudicium ferre debebant.

Cumque Carolus Magnus in suo primo capitulari munus suum patrocinatoris Ecclesiae aperuisset his verbis : « Karolus, » gratia Dei rex, regniq[ue] Francorum rector, et devotus sanctae Ecclesiae defensor, atque in omnibus adiutor apostolicae » Sedis, » passim repetit : « *Statuimus aut decernimus, ut secundum canones* (43). » Atque expresse relato decreto Gregorii II. ad S. Bonifacium, subdit : « Ista vero omnia, quae » *vires nostras excedunt*, in iudicio episcoporum *iuxta canonicam sanctionem* definienda relinquimus (44) » quibus verbis

(39) *Historia francor.* lib. V. c. XIX. ed. Paris 1699. pag. 222.

(40) In *Collect. Baluzii* tom. I. pag. 21.

(41) Cf. in *Codice legum antiquarum.* Francofurti 1612. *Leges Longobardorum* lib. II. tit. VIII. *De prohibitis nuptiis* c. 5. pag. 595. Similia his leguntur *Ibid.* Ex. gr. cap. II. « Consobrinam, neptem, novercam, fratris » uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuerit, » nullus audeat in coniugio copulare. Si quis huic tali nefario coniugio » se coniunxerit, et in eo permanserit, *sciat se episcopali auctoritate » anathematis vinculo esse innodatum.* » et cap. 12. « De his coniunctionibus, » *quae secundum canones Ecclesiae et edictum copulatae esse non possunt,* » placuit nobis, ut ab invicem separentur. » *Ibid.* pag. 595.

(42) In cit. *Collect. Baluziana*, tom. I. coll. 189 seqq.

(43) In cit. *Collect. Baluziana*, tom. I. col. 189.

(44) *Capitulare Aquisgranense*, cap. III. *De purgatione sacerdotum.* *Ibid.*

piissimus ac vere magnus imperator apprime limites definit inter utramque potestatem ecclesiasticam atque politicam.

Hoc ipsum ex iis apparet, quae leguntur in concilio Moguntino, de quo ita scribit Natalis Alex. « Cum in tres turmas seu » ordines concilium divisum esset, ( ut constat ex praefatione » Patrum ), et in prima turma episcopi, in secunda abbates, » in tertia *comites et iudices in mundanis decertantes* sederent, » cognitionem eorum, quae matrimonium spectant, non suscepere laici illi magistratus, imperatoris auctoritate *vulgi iustitias perquirentes, omniumque advenientium causas diligenter examinantes*, sed episcopi *sacra dogmata diligenti studio perquirentes*, ut statum Ecclesiae Dei et christianae plebis » perficerent et conservarent (45). »

Et sane in capitulari concilii Aquisgranensis, cum ageretur de statutis connubialibus, in peculiari *De uxore a viro dimissa*, innititur statutum canoni 69. concilii Africani : « Item in eodem » ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro » suo, nec vir aliam accipiat, vivente uxore priore (46). » Et iterum : *De sponsa alterius* statutum innititur decretali papae Syricii : » In decretalibus Syricii papae ut alterius sponsam » nemo accipiat (47). » Et ita porro. Ex his itaque aliisque non paucis, quae afferri possent, (48) apertissime constat imperatores ac reges sive orientales sive occidentales constanter spectasse canones ac decreta Rom. pontificum ut leges vi sua obligatorias, nec suas adiecisse leges, nisi ut illarum executionem urgerent adversus contumaces. Hinc vel ipse de Marca scribere haud dubitavit : « Hanc sibi mentem fuisse docet quoque

col. 586. Deinde passim plura statuit, adiciens *quia Gregorius* (pont. rom.) *consensit... Consenserunt Georgius* (forte Gregorius) *episcopus Romanus et Ioannes Sacellarius etc.* Cf. *ibid.* col. 185 seqq.

(45) *Hist. eccles.* sec. IX. et X. c. IV. art. V.

(46) In *Capitulari Aquisgran.* an. 1789. cap. XLII. in *Coll. Baluzii* loc. cit. col. 228.

(47) *Cap. L.* *Ibid.* col. 250.

(48) Qui plura cupit, adeat card. Gerdilium, cuius postissimum labore hic usi sumus in tract. cit. *De matrimonio* par I. §. X-XII. Cf. etiam Bianchi *Del- l'esterior polizia della chiesa*, lib. III. cap. VI. § I seqq.



» Iustinianus, ut vetustatis et canonum se vindicem praestaret,  
» non novas regulas in Ecclesiam invehendo, sed veteres au-  
» gendo in melius (49). »

Quod si in aliquibus legibus ab illis principibus latis, quae pro  
obieto habent res disciplinares, ac praecipue coniugiorum  
sanctiones et impedimenta, nullam ipsi iniecerunt canonum et  
Ecclesiae mentionem, sed videntur eas ex propria auctoritate  
statuere, aut Ecclesiae sanctionem supponere, dicendum est,  
aut vim non habuisse nisi postquam et quatenus ab Ecclesia  
fuerunt adoptatae. Quocirca ad omnes extendi debet quod Na-  
talis Alex. de Iustiniano adnotavit. « Si quas vero novas leges  
» tulit de ecclesiastica disciplina Iustinianus, vim illae non habue-  
» runt ullam, nisi quia sunt ab Ecclesia receptae et appro-  
» batae (50). »

Ne autem videamur ex arbitrio id affirmasse, iuverit nonnu-  
lis exemplis id patefacere, ac 1. id efficitur ex ipsis iam adduc-  
tis canonibus conciliorum Agathensis, et Epanoensis, quibus  
vidimus tum irrita facta fuisse in futurum coniugia inter  
affines, tum valida declarata fuisse, quae antea inita fuerant.  
Porro certum est iamdiu illa coniugia fuisse reprobata ab impe-  
ratore Theodosio seniore; quam legem alii contendunt fuisse  
abolitam ab illius successoribus Arcadio et Honorio, alii vero  
contendunt in suo robore viguisse usque ad Iustinianum (51).  
In utraque hypothesi patet concilia supremam illam exercuisse  
auctoritatem. Etenim si lex illa adhuc vigeat, utrumque conci-

(49) Lib. II. *De concordia* cap. XI. n. 2. - Et sane Iustinianus in *Rescripto*  
ad Dacianum id professus est dicens: « Semper nostrae serenitati cura fuit ser-  
» vanda vetustatis, maxime disciplinae, quam nunquam contempsimus, nisi  
» ut in melius augeremus, praesertim quoties de ecclesiasticis negotiis contingit  
» quaestio, quae Patrum constat regulis definita, imo adventu superni Numinis  
» inspirata. » Ex *Collect.* Aniani prope finem, et apud Baronium ad an. 541. n. 10.,  
et seqq. usque ad n. 17. ubi fuse hac de re agit. Nec non apud ipsum de Marca  
loc. cit.

(50) *Hist. eccl.* sect. VI. cap. VII. art. 2. §. *Si quis.*

(51) Hac de re non minima viguit controversia inter Simondum et Gothofre-  
dum, de qua agit Launoius in suo tractatu *De regia in matrimonio potestate.*  
Opp ed. cit. pag. 727 et 728.

lium contrarium decrevit, dum valida declaravit coniugia iam  
inita quae per illam legem irrita erant, et ita legem civilem cor-  
rexit; si vero non vigeat, utrumque concilium declaravit  
irrita in posterum coniugia, quae ex lege civili valida habeban-  
tur.

2. A lege imperiali concedebantur nuptiae in secundo affini-  
tatis gradu, scilicet inter consobrinos (52); attamen a S. Gre-  
gorio M. aliisque Rom. pontificibus irritae factae sunt (53),  
adeoque leges civiles sunt emendatae.

3. Constitutum fuerat lege civili (*Leg. Unic. de raptu Virg.*)  
ut raptus foret impedimentum perpetuum, nullo quantumvis  
spontaneo consensu ipsius raptae abolendum, ut coniugium  
iniri posset raptorem inter et raptam, uti testatur Van Espen,  
qui id *evidens* esse dicit, simulque hoc ipsum impedimentum in  
perpetuum dirimens inter raptorem et raptam constitutum con-  
firmat legibus Francorum (54). Attamen Innocentius III. legem

(52) *Leg. Celebrandis c. De nuptiis.*

(53) Nam S. Gregorius in epist. ad Augustinum permisit solum nuptias in  
tertio gradu. Cf. Natal. Alexandrum in *Hist. eccl.* sec. IV. cap. IV. art. 3. ubi  
etiam adversus Rivetum, aliosque pseudo-criticos huius epistolae, quae est  
XXXI. libri XII. genuinitatem vindicat. Cf. etiam editores Maur. Opp. S. Gre-  
gorii M. tom. II. not. in epist. LXIV. libri XI. Itaque cum Augustinus interro-  
gasset S. Pontificem. « Usque ad quotam generationem fideles debeant cum  
» propinquis sibi coniugio copulari? » Resp. S. Gregorius: « Quaedam terrena  
» lex in Romana republica permittit, ut sive fratris sive sororis, seu duorum  
» fratrum germanorum vel duarum sororum filius et filia misceantur... Sacra  
» lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut iam  
» tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat. Nam secunda,  
» quam diximus, a se omnimodo debet abstinere. » Lex, de qua hic loquitur  
S. Gregorius, exstat cod. lib. V. tit. 4. *De nuptiis*, quae est 19. et sic habet:  
« Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis huius salubritate  
» indulta est, ut revocata prisca iuris auctoritate restrictisque calumniarum  
» fomentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum, sive ex duo-  
» bus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre et sorore nati sunt: et  
» ex eo matrimonio editi, legitimi, et suis patribus successores habeantur. »  
*Corp. iuris civil.* ed. cit. pag. 1155. Cf. ibi notas iurisconsultorum, ubi plura  
scitu digna hac super re inveniuntur.

(54) *Ius eccl.* univ. par. II. tit. 15. cap. 10. §§. 5. 4.



hanc correxit, sanciens quod « Rapta puella legitime contrahet » cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum: et quod ante displicuit, tandem incipiat complacere » (55). » Et en novam legis civilis emendationem.

4. Sancivit civilis lex, ne viduae transirent ad secundas nuptias intra annum a morte mariti, et praeterea eas, quae nuptias intra id temporis contraxissent, notavit infamia, aliisque poenis subiecit (Leg. I. et II. §. 1. ff. *De his qui notantur infamia*. Item leg. I. et II. codicis *De secundis nuptiis*.) Ast Urbanus III. et Innocentius III. in cap. 4. et 5. *De secund. nupt.* legem emendarunt statuentes quod « Cum Apostolus dicat, (ait Urbanus,) *mulier viro suo mortuo soluta est a lege viri sui, in domino nubat, cui voluerit*: per licentiam et auctoritatem Apostoli eius infamia aboletur », et Innocentius eadem Apostoli auctoritate adducta, ait, « Non debet *legalis infamiae* sustinere iacturam, » quae licet post viri obitum intra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat, concessa sibi ab Apostolo utitur potestate, cum in istis praesertim seculares leges non dedignentur » sacros canones imitari (56). »

5. Civiles leges nullas servorum nuptias, sed tantum contubernia agnoverunt (Leg. 3. c. *De incest. et inutilib. nupt.*) Ecclesia has nuptias probavit, ratasque habuit, adeo ut valeant matrimonia servorum, etiam invitis dominis contracta (cap. I. *De coniug. servor.*); valetque etiam matrimonium liberi hominis cum ancilla, modo ipse eius servitutum non ignoraverit (Can. 2. 4. et seq. c. 29. qu. 2. cap. 2. *De coniug. servor.* (57).

(55) Lib. V. Decret. tit. 18. cap. VII. *De raptoribus*.

(56) Apud cit. Van Espen loc. cit. tit. 15. *De divortii et secundis nuptiis*, cap. VIII. *De sec. nupt.* §. 7. seqq.

(57) Cf. Devoti *Instit. canon.* tom. II. lib. 2. tit. 2. *De sacram. sect. IX. De imped. matrim.* §. 142. Cumque Van Espenius edixisset, Gratianum nisum falso decreto Iulii pontif. in *Causa* I. c. 19. qu. 2. primum adhibuisse distinctionem inter *scienter et ignoranter cum personis servilis conditionis contrahentes*, eamque accepisse summos pontifices, cum ea de re decretales ediderunt, atque ita introductum fuisse hoc impedimentum *restrictivum ad casum*, quo

Possem eiusmodi exemplis, quatenus opus esset, alia plura adiacere, verum non est necesse, cum allata speciminis gratia rem nostram conficiant. Ex his enim habemus loculentissime quovis tempore in re, de qua agimus, ius civile per ius ecclesiasticum emendatum saepius fuisse, adeoque exinde constat, Ecclesiam pleno iure fruitam esse circa connubialia impedimenta; nec solum independentem eius potestatem hac in re fuisse, sed prorsus supremam, seu superiorem potestate civili hac in parte, atque idcirco ab illa mutuam non esse potestatem, quae ipsi originaria est ac propria, quaque iugiter hac ratione usa est.

Quod quidem fatetur vel ipse Van Espen haud parum iuribus Ecclesiae infensus, qui postquam ostendit cum Gerbaesio, Ecclesiam a principibus non accepisse auctoritatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, concludit: « Illud tamen » fatetur (Gerbaesius) pluribusque exemplis demonstrat, penes

*circa conditionem servilem error intervenisse probatur*; eruditus annotator Devoti (qui creditur Card. Castiglioni postea Pius VIII.), ostendit deceptionem Van Espenii; siquidem longe anterior est Gratiano dispositio canonum circa eiusmodi restrictionem; nam conc. Vermeriense quod an. 782. habitum est, can. 15. iam constituerat: « Qui seit uxorem suam ancillam esse, » et accepit eam voluntarie, semper postea permaneat cum ea; » et conc. Compediense celebratum an. 757. can. 5. sic determinaverat: « Si francus » homo accepit mulierem, et sperat quod ingenua sit, et postea invenit, » quod non est ingenua, dimittat eam, si vult, et accipiat aliam; similiter si » foemina ingenua, et sciebat tunc quod servus erat, habeat interim quo vivit. » Una lex est viris et foeminis. » Apud Labb. tom. 8. *Conc.* col. 408. et col. 451. Eadem iurisprudencia reperitur in Capitularibus regum franc. lib. 5. c. 20. tom. I. col. 554. ed. Baluzii Ven. 1762.

Nos alias attulimus S. Callixti I. auctoritatem qui saec. Ecclesiae II. labente et III. ineunte dedit facultatem foeminis ingenuis contrahendi coniugium cum servis, secus ac leges civiles constituerint, idque ex accusatione aemuli eiusdem pontificis, auctoris operis nuper detecti cui titulus *Philosophumena*.

Cuiaccius alique iuriconsulti fatentur, plures leges principum aut adoptatas, aut correctas, aut abrogatas a Rom. pontificibus atque conciliis. Cf. Moser op. cit. cap. XXIV. §. VII. Integrum de hoc argumento volumen edidit doctus iuriconsultus Philibertus Bugnyon cui tit. *Traité des loix abrogées*. Paris 1602.



» Ecclesiam esse auctoritatem leges civiles corrigendi, si quidpiam  
 » contra ius divinum aut naturale in illas irrepserit; quemadmo-  
 » dum circa leges permittentes divortium quoad vinculum ob  
 » coniugis diuturniorem absentiam contigisse infra ostendemus.  
 » Igitur filum traditionis insecuta synodus Tridentina recte  
 » anathema dixit in eum, qui dixerit: *Ecclesiam non potuisse*  
 » *constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis*  
 » *errasse* (58).

Abunde igitur ostendimus, quod proposuimus, videlicet, haud posse seculares principes, iure proprio ac originario impedimenta, quae vim habeant dirimendi christianorum coniugia constituere; et si quas tulerint de impedimentis leges, eas aut intelligendas de effectibus civilibus; aut ad executionem canonum fuisse statutas; aut ab Ecclesia approbatas atque adoptatas fuisse, ut possent quoad vinculum vim habere.

ARTICULUS II. — Principes christiani non modo carent exclusiva potestate constituendi impedimenta Matrimonium Christianum dirimentia, sed neque potestatem habent cum Ecclesia communem.

Haec doctrina adstruitur adversus sive antiquiores nonnullos theologos et canonistas, sive adversus recentiores, qui ex aequo utrique potestati ecclesiasticae atque politicae auctoritatem tri-

(58) Op. et loc. cit. part. II. tit. XII. cap. I. §. 19. 20. ed. Lovan. 1700.

Nec dimitti hic debet animadversio cl. Ozanam, qui in op. *La civilisation au cinquième siècle*. Paris 1855. tom. I. agens in sexta lectione *Du droit*, pag. 182. haec praeclare scribit, quae lucem affundunt legislationi civili Roman. et barbarorum. « Nous pouvons dire qu'en 450. la société romaine a deux législations; nous y trouvons, et les barbares y trouveront aussi, deux droits en présence l'un de l'autre: d'un côté, le paganisme antique tempéré par la philosophie des iuriconsultes, qui, nous le verrons, se ressent elle-même de bonne heure de l'influence chrétienne: d'un autre côté, le christianisme, mais le christianisme timide des empereurs, qui n'embrassent que les réformes déjà ébauchées par la philosophie des iuriconsultes et qui mesurent avec prudence les coups qu'ils sont forcés de porter aux anciennes institutions païennes; d'un côté, le droit païen déjà éclairé de la première aurore chrétienne; de l'autre, les commencements d'un droit chrétien encore engagé dans les dernières ténèbres de cette nuit d'où sortait le monde. »

buerunt constituendi pari ratione impedimenta, quae nullum reddant christianorum coniugium. Ex antiquioribus eminere Petrus Soto, Thomas Sanchez, Gerbaesius, Drouin, aliique eos secuti. Ex recentioribus praecipuum locum obtinent Tournelyus, Colletus, deinde vero Baston et Carrière, qui accurate recenset auctores illos, qui hactenus tribuerunt principibus potestatem constituendi impedimenta eiusmodi, omnibusque denique discussis concludit probabiliorem, immo vero et tutiorem theologorum illorum Gallorum sententiam esse in praxi, qua adstruitur pari iure potestas originaria supremaque tum Ecclesiae tum principibus circa impedimenta dirimentia; etsi fateatur argumentum, quod ex auctoritate depromitur, magis theologorum exterorum sententiae favere, qui contrariam tenent, quam Gallorum placito (59).

Quoad nos quaestio haec dirempta iam est ex iis, quae hactenus exposuimus, praesertim art. praecedenti, quo tum a priori tam a posteriori ostendimus, nulla ratione convenire posse principibus ius originarium statuendi impedimenta dirimentia coniugia fidelium. Hunc nihilominus articulum adiicere voluimus ad discutienda propius fundamenta, quibus theologi hac in re principibus faverunt, ut magis innotescat illorum infirmitas. Ut autem perspicuitati studeamus, illa hoc ordine distribuimus: expendemus 1. rationum momenta intrinseca; 2. momenta extrinseca; et 3. nonnulla singillatim in cl. Carrière doctrinam animadvertemus.

Profitemur autem nobis haud in animo esse attingere personas, quas debito prosequimur obsequio, cumque nominatim agere debeamus de sententia Carrière, in mentem iterum lectorum revocamus, quae de hoc praestantissimo viro attulimus, qui utpote pius et doctus veritus non est, quae antea scripserat minus conformia doctrinae Ecclesiae Romanae, reicere ac retractare. Adeoque res est de sola doctrina, quam unice insectamur, ne quis in eam incurrens permoveatur argu-

(59) Tract. cit. tom. I. sect. I. puncto 2. n. 547. seqq.